

An domus producta particeps non est eius formae, quae in architecti mente est? Si verbum μετέχειν, *participare*, non placet Aristoteli, alio utatur quo velit, seu metaphora ea sit seu proprium, modo rem nobis exprimat.

5 Quod vero ait:⁶⁵ *Potest enim et esse et fieri simile quodlibet, etiamsi non formetur ad illud.* Ut filius patri verbi causa, id qui raro fit, casus potius dici solet, at domus semper similis domui in mente Architecti, ita homo semper similis rationi, formae ideae eiusdem speciei.

10 Neque verum est quod infert:⁶⁶ *Similiter vero clarum quod etiamsi esset Socrates aeternus, erunt et plura exemplaria eiusdem: itaque et ideae veluti homo animal, bipes, simul et ipse homo.* Non enim Socrates aeternus est neque forma eius in natura seminis paterni aeterna neque hoc Plato usquam dixit.

15 Quid tum postea? Etiam si sint plura eiusdem exemplaria specifica primo, deinde subalterna, postremo generalissima: neque ullum est inconueniens quod infert:⁶⁷ *Praeterea non solum sensibilia exemplaria sunt ideae, sed etiam ipsarum veluti genus idearum.*

20 Nec interest quicquam si:⁶⁸ *Idem erit exemplar et imago.* Ut subalterna et genus sunt et species ad superiora atque ad inferiora relata. Imago quidem generis, exemplar autem Socratis.

Quod adiicit:⁶⁹ *Praeterea videatur impossibile esse seorsum substantiam et id cuius est substantia.* Hoc quidem verum est, sed quae

⁶⁵ ἐνδέχεται τε [γὰρ] καὶ εἶναι καὶ γίνεσθαι ὁμοιον ὁτιοῦν καὶ μὴ εἰκαζόμενον πρὸς ἐκεῖνο. [ARIST. Metaph. 991a.23 – 25]

⁶⁶ ὁμοίως δὲ δηλον ὅτι κὰν εἴ ἦν ὁ Σωκράτης αἰδῖος. ἔσται τε πλείω παραδείγματα τοῦ αὐτοῦ, ὥστε καὶ εἶδη, οἷον τοῦ ἀνθρώπου [τὸ ἄνθρωπος] τὸ ζῶον, τὸ δίπουν, ἅμα δὲ [τὲ] καὶ αὐτοάνθρωπος] [ἄνθρωπος αὐτός]. [ARIST. Metaph. 1079b.30 – 33]

⁶⁷ ἔτι οὐ μόνον τῶν αἰσθητῶν παραδείγματα τὰ εἶδη, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν, οἷον τὸ γένος, ὡς γένος εἰδῶν. [ARIST. Metaph. 991a.29 – 31]

⁶⁸ τὸ αὐτὸ ἔσται παράδειγμα καὶ εἰκῶν. [ARIST. Metaph. 991a.31 – b.1; takoder ARIST. Metaph. 1079b.35]

⁶⁹ ἔτι δόξειεν ἂν ἀδύνατον εἶναι χωρὶς τὴν οὐσίαν καὶ οὐ ἡ οὐσία. [ARIST. Metaph. 991b.1 – 2]